

PSALMI XXV. DISPOSITIO.

*Remissio peccatorum. Si vis fugere, fuge ad Deum.
Clementer rege, serva!*

Psalms hic, maximam partem εὐχητικός, A mera sunt gratia & veritas, &c. vers. 10. quibus annectitur peccatorum condonatio: vers. 11.

I. Professionem fiducia: objectum Jehova: Modus, animam meam levavi, vers. 1. confisus sum, vers. 2. Confectarium, ne erubescam; non exultent de me inimici mei, vers. 2. ratio: nulli in te sperantes erubescunt, vers. 3. contra erubescunt praevaricantes temerè, ibid.

II. Informationem desideratam: notifica mihi vias tuas, doce me, vers. 4. deduc me in veritate tuâ, doce me: vers. 5. ratio: quia tu es Deus me salvans, quia ego quotidie te expecto: vers. 5.

III. Petitionem veniæ: cuius fundamentum divina atque aeterna commiseratio, vers. 6. actus desideratus, tum positivus, recordare huius gratiae, vers. 6. tum negativus, non recordare peccatorum juventutis & delictorum, vers. 7. tum iterum positivus; recordare mei, propter bonitatem tuam: ibid. condona propter nomen tuum, vers. 11.

IV. Commendationem tum divinae bonitatis, rectitudinis & curæ quoad peccantium deductionem, vers. 8. humiliumque informationem, vers. 9. tum divinarum viarum, quæ

V. Felicitatem hominis pii: vocatur is vir timens Dominum: vers. 12. tribuitur eidem tum divina informatio, ibid. tum in bono conservatio, vers. 13. tum seminis ejus per terram dilatatio: ibid. tum arcanorum fœderisq; participatio, vers. 14.

VI. Invocationem; ubi (1) oculorum ad Deum directio, vers. 15. (2) spes liberationis e reti five insidiis, ibid. (3) petitio tum divinae inspectionis, tum commiserationis, vers. 16. (ratio, desertus enim sum ac miser; ibid. imò anxietatibus penè obrutus, v. 17.) tum educationis e pressuris, ibid. tum attentionis ad miseriam laboresque, vers. 18. tum condonationis peccatorum omnium: ibid. tum explorationis osorum, & multorum & iniquissimorum, vers. 19. tum custoditionis sui, vers. 20. tum ereptionis e confusione, ibid. (ratio: speravi in te, ibid.) tum doni perseverantiæ: integritas rectumque tuum me, Christe, gubernent, vers. 21. (ratio: speravi in te: ibid.) tum redemptionis Israëliticæ universalis ex omnibus angustiis: vers. 22.

PSALMUS XXV.

Muis conjicit hunc Psalmum scriptum esse inter turbas Abfalonis bellicas, ob adulterium immittas. Fridericus II. rex Danicæ in morte peculiariter hunc Psalmum usus: Abscheu vorn. Ecu. part. 1. pag. 66. Singularem studiò psalmum hunc à Davide compositum, fuisse, facile colligitur ex serie literarum alphabeticarum, sub initium versuum tam sollicitè observatâ, cujusmodi sunt adhuc 34. 37. III. 112. 119. 145.

EXPLICATIO VERSUS I.

נפש animam meam levo:) h. e. te solùm aimitus concupisco: sic enim phrasis hæc adfuit Psalm. xxiv, 4. v. Deut. xxiv, 15. Luth. verlanget mich. Præterea etiam te invoco, Thren. III, 41: levemus corda & manûs &c: confer Psal. lxxxvi, 4. cxxiii, 2. xxxiv, 5. Atque sic Michlal josi vel de prece, vel de cordis, tanquam sacri muneris, oblatione.

EXPLICATIO VERSUS II.

אלהי:) ob alphabeti seriem voces censet transponendas Capellus hunc modò: אל בך בט אל qui ipse conqueritur etiam de absentia Vav & P, de geminatione ך, deq; ם post (ן) redundantia; re- futatus à Buxtorf. anticrit. p. 434. 435. De Psalmis reliquis, ubi series literarum alphabeti sub initium versuum observata, vide Quistorpium h. l.

אל:) deprecantis: malè ergò Vulg. Non.

ne erubescam:) h. e. ne committas, quæso, Benignissime Deus, ut ego hac spe meâ

ac filiali fiducia excidam, eoque ipsò deridear à meis hostibus, invisibilibus five dæmoniis, visibilibus, in populò meò, & extra illum, qui tantò animosiores adversus me fient. Sic Erubescere, est frustrari spe, latove conatus sui exitu, ubi nos pudet nostri instituti, vel ubi miseria nos reddit pudibundos, Psalm. VI, 11. xxii, 6. xxxi, 2. xxxvii, 19. (non pudefient, sed saturab.) Psalm. lxxix, 7. &c. Fundamentum huius prece est; η ελπίς κατασχύνει Rom. V, 5.

ne exultent:) de conatûs nempe sui prosperò successu, meæque in te fiducia frustratione. ך gaudere aimitus, & præ gaudiò quasi subfilire, ceu Psalm. V, 12.

de me:) vel mei causâ. (ה) De, ceu Michl. VII, 8. Psal. III, 3. xxii, 31.

EXPLICATIO VERSUS III.

etiam:) h. e. non solùm oro pro me, ne confundar, vers. 2. sed & pro aliis in fide confortibus, ne & ipsi similia mecum experiantur, à te deserti. Vel particula hæc subnectit generale, fundamentum, de se non deserendò: quia scilicet nulli in Deum sperantes confunduntur, aut confusi sunt: ita Luth. reddit: denn keiner &c.

omnes:) nota, signum hoc universale, post se habens particulam negandi, ך qui pollere universali neganti; sicut apud Latinos quoque Omnis non, est, quasi nullus.

sperantes tui:) h. e. qui sperant in te, affixum debet resolvi in particulam, q. d. קיים vel אהיה קיים expectantes te; ita namq; verbum hoc